



HD WIDENER
HW UAWQ I


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO
ET
ECCLESIAE
The Gift of
Hon. Charles Sumner,
U. S. S.,
of
Boston,
(Class of 1830,)
Sept. 2, 1862.

To Hon. Charles Sumner,
Most Respectfully
by his obed^t. Servant,
the Author
R.L.C. Rehrig.

Philadelphia,
1811. North Street,
October 26th, 1861.

DE

MI...

IMPORTATION TO ORDER, FROM EUROPE,

Of Books, Prints, &c. &c., under the Tariff of 1846.

The subscribers with reference to this *specialité*, regularly receive the catalogues of the English, French, German, and Belgium booksellers, which, with their monthly "Bulletin Bibliographique ou liste des ouvrages publiés en France," will be sent to the address of those who desire to receive them.

FROM ENGLAND.

By packet, publication prices............27 cents per shilling.
By steamer, " ....34 cents per shilling.
By packet, net prices............32 cents per shilling.
By steamer, " ....40 cents per shilling.

FROM FRANCE.

By packet, publication prices............25 cents per franc.
By steamer, " ....32 cents per franc.
By packet, net prices............30 cents per franc.
By steamer, " ....38 cents per franc.

FROM GERMANY.

By packet, publication prices............85 cents per thaler.
By steamer, " ....105 cents per thaler.
By packet, net prices............100 cents per thaler.
By steamer, " ....120 cents per thaler.

FROM BRUSSELS.

Publications of Meline, Cans & Co........20 cents per franc.
When obtained at net prices............30 cents per franc.

CATALOGUES received, and bids transmitted for books to be sold at Auction in Europe.

SUBSCRIPTIONS effected, and the publications received for American members of foreign societies.

☞ **BOOKS, &c., imported at these rates to be paid for upon delivery.** ☜

JOHN PENINGTON & SON,
127 South Seventh St., Philadelphia.

IMPORTATION TO ORDER,

FROM EUROPE,

Of Books, Prints, &c. &c., under the Tariff of 1846.

THE subscribers with reference to this *specialite*, regularly receive the catalogues of the English, French, German, and Belgium booksellers, which, with their monthly "Bulletin Bibliographique ou liste des ouvrages publies en France," will be sent to the address of those who desire to receive them.

FROM ENGLAND.

By packet, publication prices	27 cents per shilling.
By steamer, "	34 cents per shilling.
By packet, net prices	32 cents per shilling.
By steamer, "	40 cents per shilling.

FROM FRANCE.

By packet, publication prices	25 cents per franc.
By steamer, "	32 cents per franc.
By packet, net prices	30 cents per franc.
By steamer, "	38 cents per franc.

FROM GERMANY.

By packet, publication prices	85 cents per thaler.
By steamer, "	105 cents per thaler.
By packet, net prices	100 cents per thaler.
By steamer, "	120 cents per thaler.

FROM BRUSSELS.

Publications of Meline, Cans & Co	20 cents per franc.
When obtained at net prices	30 cents per franc.

CATALOGUES received, and bids transmitted for books to be sold at Auction in Europe.

SUBSCRIPTIONS effected, and the publications received for American members of foreign societies.

☞ **BOOKS, &c., imported at these rates to be paid for upon delivery.** ☜

JOHN PENINGTON & SON,

127 South Seventh St., Philadelphia.

To Hon. Charles Sumner,
Most Respectfully
by his obed.t Servant,
the Author
F. L. O. Roehrig.

Philadelphia,
1811. North Street,
October 26th, 1861.

DE

TURCARUM LINGUAE

INDOLE AC NATURA

[illegible]

SCRIPSIT

[illegible]

F. L. O. Rœhrig.

PHILADELPHIAE:

MDCCCLX.

1862, Sept. 2,
Gift of
Hon. Charles Sumner, U.S.S.
of Boston.
(Class of 1830)

A CARD.

(Handwritten, struck through: North Street, Philad.)

F. L. O. Rœhrig,

TEACHER OF LANGUAGES,

"S.W. corner of Ninth & Callowhill Streets."

☞ Address—~~LETTER BOX 2238, POST OFFICE,~~

PHILADELPHIA, PA.

E. W. Conner, Printer, corner of Fourth and New Streets, below Vine,

De Turcarum linguae indole ac natura verba facturus valde vereor, ne in multorum hominum incurram offensionem atque invidiam, quod eam elegerim linguam, quae plerisque nulli omnino sit curae, saepe numero parvi pendatur, diligentiore denique virorum doctorum studio minime digna habeatur.

Priusquam igitur ad rem ipsam perveniam, paucis me ab ejusmodi obiurgationibus defendam quam maxime videtur necesse. Duplex est autem horum hominum genus. Pars enim eorum quum omne linguarum studium odio habeat, tum Turcarum linguam praeter ceteras detestatur, altera quum et ipsa delectetur litterarum scientia, hancce doctrinam, cui eandem quam reliquis operam navet, indignam censet.

Ac primum quidem genus quod attinet, non raro audimus voces complurium assensu comprobatas, quibus insigniore studio indignae judicantur omnes omnino res, quae cum loco, quo nati, vel populo, unde oriundi sumus proxime non sunt coniunctae, imprimis vero, si sermo de gentibus est, quae aut regiones a patria nostra valde remotas incolunt, aut barbarae habentur et incultae. Neque vero de historia tantum, religione et moribus hoc sentiunt — nisi forte curiositatem quandam puerilem et phantasiam nimis vigentem, quae variis locorum longe a nobis dissitorum imaginibus delectari solet, excipias — sed multo etiam magis de illarum gentium linguis. Quod si omnia gentium facta aut instituta, quae illis narras, taedio eos afficiunt, fieri non potest,

quin summo opere irascantur, si quis eos docere voluerit linguas, quibus utantur, quas quidem quum pro rudi tantum vastaque mole vocabulorum et regularum habeant, a labore rerum ejusmodi accuratius cognoscendarum abhorrent et tempus a summo numine ad meliora nobis datum terere tamquam peccatum fugiunt.

Quodsi quaesiverimus quinam sint harum, quas miramur, sententiarum auctores, ad profanum eos vulgus, quod non quae animum delectent mentemque colant, sed quae sola ad vitam sustentandam utilia sint, curat, atque hanc unicam doctrinam praedicat, reliquas abominatur, quodque sive ignavia sive stultitia qualemcunque vel minimum laborem detrectat et reiicit, primo obtutu referendos esse intelligemus, ut jure nostro ejusmodi nugas non solum non refutandas, sed ne respiciendas, quidem esse opinari videamur.

Missis igitur horum detrectationibus ad eos nos convertamus, quorum vocibus plus tribuendum magisque obediendum videtur, quum non caeca quadam opinione a vero declinent, sed caussas etiam easque non plane contemnendas proferant, secundum quas nobiscum consentire nequeant, viros dico eruditos doctrinaque excellentes, qui summis in deliciis habent litteras, earumque studio penitus dediti veterum pariter ac recentiorum quaecunque ingenio et utilitate excelluerunt scripta unicam ingenuo viro dignam putant voluptatem. Hos autem viros non raro cum illis, quos supra dixi, ita certe consentire, ut in linguas gentium minus cultarum operam conferre nolint, valde est dolendum. "Quid enim", inquiunt, "ubi inveneris, quae te aut propter res historicas aut propter sententias graviores vivendique

praecepta, aut denique propter grammaticam et etymologiam hasce linguas tractare jubeant? Quaenam opera scite literateque perscripta in populo rudi et prorsus inculto prodiere? Qui tandem tanto linguas amore amplecti poteris, quae moribus istarum gentium asperis conveniunt?

Jam quum Turcae omnium quae terram incolunt gentium maxime barbari et vix hominum nomine digni habeantur, mirabuntur certe, si quis de litteris hujus populi aliisque ingenii operibus verba facit, vel quod majus est, omnem fere vitam eorum linguae dedicaturus est.

Libenter concedo, parum habere Turcarum linguam, quod allicere nos possit ad eam cognoscendam, addo etiam pleraque, quae habeat, ex aliis orientis scriptoribus suum in usum convertisse; nihilo minus mihi, qui toto eam animo amplector, non desperandum videtur, quum duplex mihi sit solatium: alterum, quod alios, quorum auctoritati aliquid tribuendum est, eodem amore teneri video, alterum gravius illud, quod vel adversarii mihi concedant necesse est, non ea tantum tractari debere, quae ipsa prosint, sed ne ea quidem negligenda, ex quorum cognitione aliquid ad alia redundet. Hoc autem inter omnes constat, Turcarum linguam multum habere commune cum Arabicis Persicisque litteris, ut qui has accuratius velit cognoscere, in illam facere non possit quin inquirat. Alia accedit non minus idonea caussa, cur quis hanc linguam cognoscere velit, in eo posita, quod quamvis nondum satis culta omnibusque numeris absoluta (quod quidem de nulla lingua dici potest, sed cum aliis composita)

propter Tartaricam indolem doctorum animos advertat necesse est virorum.

Quam quidem ejus indolem exponere et quibus fundamentis nitatur, demonstrare, id est, quod nunc instituere conabor.

Prius autem quam de Tartarica lingua quod sentio proferam, pauca de cujusvis linguae structura generatim disserenda videntur, quo clarior nobis ante oculos ponatur imago.

Linguae ope quum quae mens cogitat auribus tradantur, duplici eam modo, ut alter materiem alter formam spectet, considerare debemus; quorum ille sonos continet, quibus quid quis velit, indicatur, verba dico et vocabula, hic viam nobis demonstrat et rationem, qua verba ut cogitationum ordinem et periodos, quae dicuntur, efficiant, inter se jungantur. Ille ad lexica pertinet, hic ad grammaticam. Quomodo autem, si de aedium constructione loquimur, non ligna et lapides quibus exstructae sunt, dicimus, sed modum potius quo singuli lapides scissi totum aliquid efficiant, sic quum de linguae cujusdam structura sermo est, non materies intelligitur, sed ratio, qua singulae materiei partes (vocabula) unum efficiant conjunctae, quibus conjunctis forma existit.

Quam ob rem nobis de structura verba facturis non quaerenda sunt, quae ad lexica pertinent, sed quae solam grammaticam spectant, hujus enim est structuram linguae docere, quo fit, ut structurae soleat addi adjectivum "grammaticae", ideoque semper de grammatica alicujus linguae structura loquantur. Alia igitur, quam grammatica alicujus linguae structura

esse nequit. Linguae structura sive formae grammaticae earumque, quo conjunguntur modus summi est momenti. In hac enim inest linguae, ut ita dicam, succus et sanguis, quum hac ipsa interior linguae natura et indoles conspiciatur. Id quod pluribus nunc persequi conabor.

Multum inter sola vocabula et formas interesse grammaticas vix est cur moneam, quum omnis generis vocabula, ea etiam, quae ad certas quasdam res necessaria sunt, aliunde sumi et cum alius cujusdam linguae vocabulis permutari possint, norma autem, secundum quam singula vocabula inter se aut conjunguntur aut distinguuntur, quippe quae ingenio ac naturae populi quasi inhaereat, integra maneat et intacta. Atque hoc quidem omnis omnium linguarum historia nos docet, quae vocabulo adjiciuntur, formas, secundum quas variis in locis varie possit adhiberi, alienari non posse, et tantum abesse, ut has lingua abiiciat, ut dirimi et perire maluerit, quam ferre mutationes ab aliis sibi impositas. Ut elementa quamvis aliena, quae omnem populum mutare minantur, irruant, ut peregrinis neque unquam antea auditis lexica turgescant tumeantque vocabulis, grammatica propria manet et perpetua, et unicum saepe est perfugium, in quod populi natura prope deleta incolumis possit recedere.

Sic Arabes, quamquam per octingentos annos in Hispania regnabant, ne hilum quidem Hispaniae atque Lusitaniae grammaticae delere potuerunt. Quorum vocabula, quae in utramque linguam transierunt, nonne hucusque alienae originis speciem prae se ferunt? Quid? quod magnus eorum numerus cum articulo etiam

Arabum coaluit, quem errore ducti pro ipsius vocis parte habuerant necessaria. Neque magis Normanni, quamvis cum Anglis ita coaluissent, ut unum efficerent populum, impedire potuerunt, quominus grammatica Anglica propriam Germanicam indolem conservaret. Quibus documentis, multisque, quae omitto, aliis id certum fit ac comprobatum, quod supra dixi, grammaticam quae propria linguae sint et perpetua, conservare, neque ullo, qui extrinsecus venit, impetu posse commoveri. Atque sic fit, ut hac ipsa tenacitate singulas linguarum familias disjungat. Jam quum ex his quae commemoravimus omnibus linguae cujusdam structuram nihil aliud esse nisi normam, qua quod cogitamus exprimamus, atque ordinem quo singulas orationis partes disponamus, appareat, quum illud etiam negari non possit supra indicatum, hancce structuram non solum in sese continere linguae indolem, sed eandem paene esse; nunc quaenam in Turcarum lingua insit indoles, liceat exponere.

Haec autem lingua quum ad eam linguarum familiam pertineat, quae Tartarica vocatur, non abs re esse videtur quaedam hic de Tartarica linguarum familia subjicere. Ab initio nomen Tartarorum significatione adhiberi solitum est arctiore, quum fortis quaedam Mongolorum gens, quae in Tchingis-Khani expeditionibus primum agmen efficeret, hoc nomine appellaretur, postea omnes omnino populi qui Mongolis aut amici et socii, aut subjecti essent, sic dici coepere. Nostro autem tempore propria significatione perdita nomen tantum superest, idque in Europa magis quam in Asia notum, latissimoque sensu acceptum. Nunc enim omnes illae Turcarum

gentes hoc nomine continentur, quae regiones fluvio Danubio adjacentes incolunt, quae in Chersoneso Taurica, in desertis Nogaicis, in Caucaso monte, ad inferioris Volgae ripas, in provincia Casanica reperiuntur, quaeque per magnam Siberiae partem diffusae et omnes fere Rossico imperio subjectae sunt. Praeterea omnes etiam ulterioris Asiae partis incolae Tartari vocantur. Sin vero totum quid nomine Tartarico volumus comprehendere, aliter id fieri non potest, nisi ut linguas ulterioris Asiae propter similitudinem, quae inter eas intercedit, eodem modo intueamur. Ad has Mongolica, Mandchuica et quae maximam partem ex ulteriore Asia descendisse videntur, Hungarica et Fennica linguae propter propriam ipsarum indolem referri possunt, deinde vero Turcica, in multas vix quidquam inter se differentes disscissa dialectos, quae "Turco-tartaricae" sive "Tartaro-turcicae" sive simpliciter "Tartaricae" appellantur. Hic illa nobis consideranda est dialectus, cui nomen est "Osmano-Turcicae" sive "Osmanlí", quae quidem in Turcarum imperio usitata est ac pervulgata. Quae non solum Mongolicam linguam et Mandchuicam, sed plurima etiam cetera linguae Turcicae superat idiomata, vocabulorum autem copia quam parva sit vix crederes. Nam Osmano-Turca notiones maxime simplices eas etiam, quae consanguineorum propinquitatem continent, antiquis eique propriis verbis exprimere dubitat. Neque hoc quamvis mirum et paene incredibile explicatu est difficile. Etenim quum Turcae si qua excellunt eruditione, eam debeant Persis, communem autem habeant cum Arabibus religionem, fieri non potuit, praesertim cum religio simul cum

eruditionis elementis vim suam exerceret, quin Arabicum vel Persicum tanquam elegantius ponerent loco proprii ac Turcici, id quod corroborat nostram, quam supra posuimus, sententiam, qua indolem non in lexicis sed in grammatica tantum inveniri diximus. Arabica enim lingua et Persica, valde diversae in tertiam et ipsam cum his non congruentem, in Turcicam influentes ne minime quidem grammaticam corrumpere potuerunt. Quo factum est, ut Turcica lingua praebeat nobis exemplum rarissimum, quo linguae alicujus voces plane interiisse videmus, grammaticam contra ea integritate conservatam, qua eam a majoribus acceperunt. Quapropter jam grammaticam Turcicae linguae structuram, quae alienam illam materiem tam mire regit, omissis omnibus, quae ad lexica sunt removenda, propius examinemus.

Facile autem veniam me esse impetraturum credo, soni, radicum et derivatorum vocabulorum, formationis etiam doctrinam, quamvis haec in Turcica lingua non minimi sit momenti, omitti posse dico, quum haec lexicis potius sint committenda, quam grammaticae, cui non quomodo oriantur vocabula, sed quomodo ortis receptisque utendum sit, observandum est ac demonstrandum, quaeque ibi initium ponit, ubi soni, syllabarum radicum, vocabulorum derivandorum doctrina finem facit. Quamquam ex hac etiam linguae parte, quae consilio nostro necessaria sunt et utilia, suo loco non tacebo.

Hac igitur in dissertationis parte, ut jam antea dixi, res mihi non erit cum vocabulis formandis, sed id potius videndum, quomodo vocabula, quae formata jam repe-

riuntur, inter se sint componenda, quanam relatione connectenda, quave ratione respondeant mentis humanae cogitationi, ut paucis dicam: partes orationis sunt spectandae.

Neque vero mihi proposui, de tota linguae Turcicae disserere grammatica, ut unum quidque, quod in permutandis et conjungendis orationis partibus reperiri possit peculiare ac proprium explanare, sed ea tantum exponere, quibus imprimis linguae Turcicae indoles et interior appareat natura.

Ac primum quidem quum nobis videndum sit, quo modo orationis partes formentur ac varientur, initium capiamus necesse est a Nomine, quum Verbum, id quod postea videbimus, certis quibusdam syllabis additis e Nomine oriatur.

Jam, si quaerimus, quanam in re

NOMINIS

sita sit indoles, qua Turcicum idioma ab aliis, e. g. ab Indogermanicis, differat, haec maxime videntur commemoranda.

Radici neque praefiguntur formationis syllabae, neque ulla grammatica mutatur terminatione, neque cum voce ipsa ita coalescit, ut unum idemque quasi efficiat corpus. Quare de vera flexione et declinatione quaestio esse nequit, sed sola ubique est adhaesio, nusquam cohaesio. Particulae quaedam ut casus et pluralem numerum exprimant, terminationi, adduntur, in eorum autem loco non ponuntur. Inde etiam explicatu est facile, cur in linguis Tartaricis illae particulae scribendo tam cum verbo conjungantur, quam separatim apponanter. Qui

separandi modus apud Mongolos tamquam regula obtinet. Quum vero haec adhaesio satis sit laxa, nemini mirum videbitur, quod nonnullae casuum notae hic illic prorsus omittuntur. Id quod fit in Genitivo et Accusativo, quando quidem rectum nomen definito modo non est expressum. Sic e. g. *"ev sahibi"* omnino domus alicujus dominum, sed contra *"evin sahibi"* cujusdam domus (de qua forte antea sermo fuerat) dominum significat. In quo denotandi modo simul articulum definitum, quo Turcarum lingua caret, aliqua ex parte expressum esse cognoscas. Sic in Accusavito *"soghan yemek"* cepam cemedere (aliquam qualemcunque), sed: *"soghanı yemek"* cepam jam notam commedere indicat.

Haec quamvis ad doctrinam pertinerent, quae quomodo orationis partes jungantur nos docet, sive ad syntaxin, tamen hic commemoranda videbantur, quo intelligamus, quam laxae sint ejusmodi adhaesiones. Nunc autem ad ipsas casuum rationes considerandas transeamus.

Nominativum omni grammatica terminatione videmus carere. Nominativi enim, ut hac voce utar, terminatio ad casus formandos nihil omnino valet, nisi forte illas generales exceperis euphoniae leges, secundum quas e. g. si vox in *k*, *lik* etc. terminatur, illa litera *k* in *gh* emollitur; atque si vox in vocalem desinit, consonantes quaedam (in Genitivo *n*, alias *y*) ad hiatum evitandum inseruntur. Casus particulis quibusdam adjectis formantur, quae quidem a praepositionibus, quas propter locum postpositiones dixeris, certa quadam nota non differunt. Attamen discrimen, quod inter illas particulas et veras intercedat postpositiones, ita constitui posse

censemus, ut in Tartaricis linguis omni praepositioni (postpositioni), quae ipso statim vocabulo additur sive Nominativo jungitur, abstractiorem significationem, quo arctiorem nominum conjunctionem indicaret, infuisse dicamus; sin vero illa conjungendi ratio hoc modo efficitur, ut Nomen accedente postpositione in Genitivo, Dativo, Ablativo ponatur, peculiari significatione adhibitam esse contendere possimus.

Hae vero postpositiones primis temporibus vocum radices ipsae fuerunt, quae nomini ab ipsis recto postponebantur, sed paullatim tamen usu frequentissimo in breviorem formam redactae sunt.

Illarum autem postpositionum ipsi verbo conjunctarum quum Mandchuica lingua unam tantum (*be* ad Accusativ. indicand.) ad veras casuum rationes significandas et Mongolica duas ejusmodi, possideat postpositiones, (ad Genit. exprim. Decl. I. *yin*, Decl. II. *u*, D. III. *un;* ad Acc. signific. *yi* et, *i*) in Turcica lingua tres, in Genitivo, Dativo et Accusativo reperiuntur (Genit. *un* vel *nun*, Dat. *a*, *e*, *ya*, *ye*, *gha*, Accus. *i*, *yi*.) Quae vero Ablativi Turcici natura sit, paulo inferius ostendetur.

Quod ad Genitivum attinet, Turcice ita indicatur, ut vocabulo non mutato particula: *ung* et, si in vocalem exit, *nung* addatur, quae apud Osmano-turcas quidem mollius sicuti *un*, *nun* fere, sed in Tartaro-turcicis dialectis re vera cum sono nasali profertur. In iisdem dialectis praeterea etiam illud "*n*" initiale conservatum est et tantum non semper adhibetur. Unde fit, ut haec Genitivi nota semper sit: "*ning*" quae primaria et integra forma esse, aut saltem proxime ad eam accedere.

videtur. Et profecto apud ipsos Mandchuicos postpositivam invenimus illam particulam in *"ningge"*, quae, etsi numquam Genitivo inserviat significando, tamen cum Genitivi particula *"ni"* forma certe convenit. Cui particulae *"ningge"* haud dubie inerat: *"ning."* In lingua enim Mandschuica vocabulum in litteras *"ng"* exire nequit: propter quod asperitatis vitandae caussa mitius reddens syllaba *"ge"* huic *"ning,"* apponitur, ita ut propria hujus verbi forma sit: *"ning-ge."* Quod Mandchuicum *"ningge,"* etiamsi numquam demonstrari possit, ad Genitivum exprimendum fuisse adhibitum, tamen jam sufficit, scivisse, id ipsum, quum relativo Mandschuica lingua careat pronomine, relativo sensu poni post adjectiva: "qui est—," "qui sunt—;" e. g. "Oolkhire-i khodoon *ningge* be, mergen sembi; sara-i farkhon *ningge* be, mentookhoon sembi, i. e. discendo facilis qui, ingeniosum dicimus; sciendo obscuratus qui, stupidum dicimus. (*cf.* a Gabelentz, *Elemens de la Grammaire Mandchoue*, § 178. pag. 89.)

Genitivi autem natura, quum in relatione (in intima nominis cum nomine conjunctione) consistat, ob eamque rem proxime accedat ad pronomen relativum, ab hac illius *"ningge"* significatione Genitivi nota Turcici (*ning*) ducit originem.

Notae Dativi Turcici sunt *a* (*e*), *ya* (*ye*), et interdum quoque *gha*, Mandchuice *de*, Mongolice imprimis *dur*, praeterea: *da* (*de*), *den*, *a*, *e*.

Apud Mongolos et Mandchuos particula *"de," "da"* ad Dativum notandum adhibetur quidem, sed non minus, immo plerumque ita, ut praepositionis vicibus fungatur, a Turcis contra non nisi praepositionis habet vim.

Quapropter hic de ea non amplius loquamur. Maxime autem usitata apud Mongolos est Dativi nota: "*dur*", quae in Turcica lingua in uno tantum adverbio *gun-duz* "interdiu" reperitur. Quod *duz*, haud dubie aliud non est, quam "*dur*." Nam sonorum permutatio inter "*z*" et "*r*" in Turcica lingua saepius nobis occurrit, quum Turcis littera "*r*" hic illic nimis aspera videatur, quam mitiore quodam sono commutare student. Hoc inde etiam apparet, quod saepe hanc litteram reperimus elisam. Hoc modo e. g. pro "*arslan*" (leo), quae tres literae "*rsl*" juxta se positae asperum quendam sonum gignunt saepissime littera "r" omissa pronuntiantur: "*aslan*" Permutatae litterae "*r*" in "*z*" item videmus exempla in "*yazmak*" et "*yarmak*", in in *g'oz* et *g'ormek* etc. Praeterea Turcis et Mongolis alia etiam et communis Dativi est nota: "*a*" et "*e*", quam varie adhibent, prouti assimulationis, quam in Tartaricis linguis omnibus reperimus servatam, lex postulat, i. e. prouti syllabae principales sonos habent obscuros vel claros (vel *a*, *o*, *u*, vel *e*, *'o*, *'u*, *i*) vocales iis respondentes iin adjectis syllabis ponunt.

Attamen, ut Schottius (*Versuch uber die Tatar. Sprachen*, pag. 55) contendit, Dativi significatio syllabis "*a*" et "*e*" adjunctis expressa non statim ipsam in Osmano-turcicam linguam transivit. Omnino enim tale principium in Turcica, Mongolica et Mandchuica lingua frustra quaereremus.

Tantum enim abest, ut illae tres altioris Asiae principales linguae ita conjunctae sint, ut alia ab altera descenderet, ut simul cum ipsarum dialectis plus minusve divergentes rami vestustae cujusdam nescio cujus

stirpis jam olim deletae esse videantur. Sic Schottii opinione littera "*y*" ab Osmano-turcis ad hiatum evitandum post vocales ante Dativi particulam *a* (*è*) adhibita, ex *gh* (*g*) formata et Turco-tartarica particula *ka* (*gha*), *ke* (*ge*) (ad quam usitatum adhuc Osmano-turcicum "*gha*" quam proxime accedit) forma antiquissima est.

Particula quae Accusativo inservit exprimendo, apud Osmano-turcas et Mongolos (Mongolicam "*ben*" Mandchuicae "*be*" respondentem formam hic, quum Turcica lingua praesertim nobis curae sit, prorsus omittamus) est "*i*" et post vocales "*yi*." Integra particula "*n*" vel "*ni*" quae apud Turco-tartaros in usu esse solet, forma fortasse est ad Accusativum notandum primitiva.

Ablativi denique forma Turcicam linguam plane carere facile dixeris; Mongoli enim, dum particulam affixam "*etze*," Mandchui, *tshi* (pronunties "*tsi*") ad eum notandum adhibent, Turcae particula *dan* (*den*) utuntur.

Quae Ablativi nota cum postpositione locum significante plane convenire affixoque "*n*" videtur esse mutata. Id quod Schottius (*Versuch uber die Tatar. Sprachen*, pag. 57) ita demonstrat, ut dicat, Turcas verborum passiva tam cum Dativo quam cum Ablativo construere [e. g. pro "*ondan tutuldi*" (ab eo comprehensus est) jure quoque dicitur: "*ona tutuldi*" (ei comprehensus est)] et Turcicam Ablativi notam "*dan*" (*den*) una eademque initio fuisse significatione qua particulam "*de*," quum Mongolica postpositio "*de*," e. c. in adverbio: "*terguden*" (initio) non minus "*n*" finale possit assumere.

Nunc quomodo Pluralem numerum forment, paucis explicabimus. Valde simpliciter Singularis Nominativo particula *"lar"* (*ler*) apponitur, qua adjuncta ne minimum quidem in voce ipsa mutatur. Quae syllaba (*lar, ler*) Mongolicae *"nar"* (*ner*) respondet, haec enim praeter alias ad Pluralem exprimendum adhibetur. Mandchui homines et caetera animantia significaturi, [ad notandas enim res inanimatas ejusmodi voces adhibent quae collectionem, multitudinem exprimunt, de quibus hic quaestio non est] affixis utuntur particulis hisce: *sa, se, si, ta, te, ri.* Hanc unam: "ri" propius consideremus. Haud dubie ea illud *"z"* continet, apud Turcas in nonnullorum pronominum Plurali maxime usitatum, e. g. *biz* (nos), *siz* (vos). Supra enim jam commemorata sonorum alternatione inter *"z"* et *"r"* haec pluralis terminatio *"r"* in *"z"* mutata est. Sic forte in voce: *"ikiz"* (gemini) quodammodo nominis numeralis *"iki"* (duo) pluralis discerni potest, cujus terminatio *"z"* eodem modo pro *"r"* posita esse videtur. In Plurali permutando pariter ac in Singulari postpositivae illae particulae adduntur, quae in utroque numero eaedem sunt.

Casuum particulae, quas Turcae pronomini apponunt, nihil habent peculiare; ipsa autem pronomina cum illis conjuncta varie mutantur. Pronominum personalium *"ben"* (ego), *"sen"* (tu) Pluralis secundum regulam non formatur; nec *"benler"* (nos), nec *"senler"* (vos); sed *biz* (nos) et *siz* (vos) (ut supra jam vidimus *biz=bir,*

siz=*sir*) dicitur, quibus Kirgisae particulam "*ler*" plerumque adjungunt: *bizler*, *sizler*. (*cf.* Adelung *Mithridat*. Tom. I. Tat. llgg. Orat. domin.) Tertia persona per particulam "*o*", "*ol*", sed ad pronomen possessivum significandum, suffixa littera "*i*" exprimitur, quod convenit cum Mandchuico "*i*" (is, ea, id), e. g. *Kitab*-I, liber ejus, *el*-I, manus ejus. Quod suffixum etiam in: "*in*" et "*sin*" potest mutari: e. c. *Kitabi-in-e*, libro ejus (Dat.), *Kitab-in-den*, libro ejus (Abl.), *baba-si*, pater ejus, *baba-sin-den*, patre ejus. Propter sonum tantum euphonicum hoc "*n*" esse insertum, vix credi potest, quum in Ablativo: "*inden*" hoc plane supervacaneum esset. Neque magis "*s*" ad hiatum evitandum usquam in Turcica lingua invenitur. Quam ob causam, ut Schottius (*Versuch uber die Tatar. Sprachen*, pag. 62) opinatur, maxime probari potest, si supponamus, aliam etiam praeter: "*o*", "*ol*" exstitisse formam: "*sin*", quae cum secunda pronominis persona una fuerit et eadem; ut similiter in Rossica lingua pronomen "*svoi*" primam, secundam et tertiam indicare potest personam. Sic e. g. "*on mn'a svoi*", is mihi meus i. e. meus cognatus est: "*kuda vy polojili svoiu shl'apu*?" quo posuistis vestrum pileum? i. e. quo posuisti tuum pileum? "*sam ne svoi*", sui non compos est. — Quamquam Russicum illud cum Turcico "*sin*" non omni ex parte potest comparari, quum hoc ut ejusmodi significationes induat, certis quibusdam conditionibus fieri possit, quas commemorari non hujus loci est.

Ad relativum pronomen exprimendum Turcae particulis quibusdam utuntur, quem admodum Mandchui illo, quod supra commemoravimus "*ningge*", ita

tamen ut eas non uti nos a n t e definiendum subjectum ponant, sed p o s t subjectum omnibus, quibus opus est, modis definitum, qua de re infra dicemus, ubi ad syntaxin pervenerimus. Proprium Turcis relativum pronomen est "*kim*" et "*ki*", quarum duarum formarum primitiva hauddubie fuit "*kim*." Uigurica enim in lingua ex qua, quod hodierno die habent, proxime prodiit Turcicum idioma, solum "*kim*" ut relativum fuit in usu. Praeterea idem etiam significat quod Graecum pronomen "*tis*," "*ti*" quum interrogandi etiam caussa adhibeatur e. g, "*kim geldi*," quis venit? et loco pronominis indefiniti "aliquis" "quidam" ponatur, ubi tamen terminatio "*se*" vel "*esne*" addatur, necesse est: "*kimse*". Quae syllaba "*se*" idem est ac vox: "*ise*", quare "*kimse*" idem quod "*kim ise*" (qui cunque est). Quae indefiniti pronominis "*kim*" significatio ("aliquis, quidam") est primitiva. In Mongolica enim voce *kumun* (homo), radix est "*kum*", quod primarium videtur, quod "homo" significet, fuisse verbum, postea vero perditum. Qua de re in omnibus, qui Mahomedanismum amplexi sunt, Tartarorum linguis nullum ad "hominem" significandum invenimus vocabulum, sed semper Arabica (*adam*) utuntur voce.

Altera forma "*ki*" e Persica quidem, ex qua Turcae multa acceperunt, lingua videtur esse desumta, non tamen obliviscendum illud "*ki*" in Mongolica etiam lingua reperiri, quamquam extensam illam, quam in Turcica, significationis non habet vim.

Sed satis de "declinationibus", si hac voce ex nostro sermonis usu uti volumus, sive de Nominis flexione —

—— ad VERBUM TURCICUM

transeamus. — Cujus formationem si accuratius volumus explicare, dolendum magnopere est, quod non, uti in "declinatione" virum habemus clarissimum Schottium, qui viam nobis praeivit, sed omni, quae extrinsecus veniat, ope sumus destituti.

Quamvis autem mihi in ejusmodi rebus tironi via sit aperienda, eo tamen me consolor, quod Verbum illis difficultatibus non premitur, in quas nos Nominis explicatio intulit. Accedit praeterea in Verbi explicandi formis summa jucunditas ac delectatio cum summa simplicitate conjuncta, in quo maxime Turcicae linguae virtus conspicitur. Neque enim in formarum multitudine et varietate quaerenda est vera alicujus linguae dignitas, sed in eo potius ponenda, quod illis grammaticae formis ingenium linguae exprimitur subtilioresque quasi notionum differentiae ita significantur, ut, quae in formis est copia, linguae virtutes superare nequeat.

Verba quidem aeque ac Nomina uno tantum modo permutantur; at contra formae ab iis derivantur, quae ut his vocibus utar, non existentiam actionis, ejus impossibilitatem, passivam significationem, causalitatem, retroactionem et reciprocationem, quam fieri potest simplicissime et luculentissime exprimunt. Sed in Verbi etiam indole explananda non singula quaeque enumerabo, sed ea sola, quibus ab aliis Turcarum idioma abscedat linguis, in lucem proferam. Quae omnia his paucis possunt complecti:

Conditiones, quibus actio fit, quas nostrae linguae

adverbiis notant vel separatim apposito reflexivo pronomine, vel auxiliaribus verbis significant, Turcice magna ex parte ita exprimuntur, ut peculiares quaedam syllabae radici ipsi adjungantur, quibus id quod opus est, designatur. Tempora quo modo inter se differant, in Verbo Turcico satis accurate distinguitur, nihilominus quam simplicissima est conformatio, ut minimae etiam eorum partes possint discerni, quum semper fere componantur e participio et Tempore ipsi respondente verbi auxiliaris *"olmak"* (esse, fieri). Hoc autem participium, prouti praesens, praeteritum aut futurum tempus est indicandum, praesentis praeteriti est participium, quod neque Casu, nec Numero nec Persona mutetur, quamvis, quod apponitur, verbum auxiliare flectatur.

Pura cujuscunque Verbi primitivi radix semper in Imperativo apparet, qui ita formatur ut terminatio Infinitivo propria *"mek"* vel *"mak"* rejiciatur et reliqua immutata retineantur. Cui Imperativi formae particulae, quae ad illas supra commemoratas conditiones significandas aptae sunt, ipsi statim junguntur. Quo facto Infinitivi forma secundum vocalium assimilandarum regulam iterum apponitur.

Hic mihi omnium, quae hoc modo fieri possunt Verborum genera, indicem proponere liceat, qui quidem, quamquam in omni meliore linguae Turcicae grammatica reperiri debet, et in tota formarum doctrina jucundissimam et maxime memorabilem partem efficit, tamen in multis grammaticis aegre desideratur. Ponamus igitur verbum *"bakmak"* (observare). —Infinit. Activi. *bakmak*. Imperat. *"bak"* (observa).

FORMA NEGATIVA.

bak–MA*mak*, non observare.
bak–AMA*mak*, observare non posse.

FORMA TRANSITIVA.

bak–DIR*mak*, facere, ut aliquis observet.
bak–DIRMA*mak*, facere, ut aliquis non observet.
bak–DIRAMA*mak*, facere non posse, ut aliquis observet.

FORMA PASSIVA.

bak–IL*mak*, observari.
bah–ILMA*mak*, non observari.
bak–ILAMA*mak*, observari non posse.
bak–ILDIR*mak*, facere, ut aliquis observetur.

FORMA REFLEXIVA.

bak–IN*mak*, se ipsum observare.
bak–INMA*mak*, se ipsum non observare.
bak–INAMA*mak*, se ipsum observare non posse.
bak–INDIR*mak*, facere, ut aliquis se ipsum observet.
bak–INDIRMA*mak*, facere, ne quis se ipsum observet.
bak–INDIRAMA*mak*, facere, ne quis se ipsum observare possit.

FORMAE MUTUAE ACTIONIS.

bak–ISH*mak*, se invicem observare.
bak–ISHMA*mak*, se invicem non observare.
bak–ISHAMA*mak*, se invicem observare non posse.
bak–ISHIL*mak*, mutuo inter se observari.
bak–ISHILMA*mak*, mutuo inter se non observari.
bak–IEHILAMA*mak*, mutuo inter se observari non posse.

bak–ISHDIR*mak*, facere, ut aliqui se invicem observent.
bak–ISHDIRMA*mak*, facere, ne qui se invicem observent.
bak–ISHDIRAMA*mak*, facere, ne qui se invicem observare possint.

Ab eodem Imperativo sive radice participia etiam derivantur, quae Temporum sunt fundamenta vel potius in iisdem continentur.

Qua igitur ratione haec participia ab iisque deinde Tempora formentur, paucis hic in conspectum producam.

A) Participium praesentis littera "*r*" radici ipsi juncta formatur, e. g. "*bak*–AR" [De caeteris Participiis, quae Temporibus formandis non inserviunt, hic non est dicendum.] Deinde autem Verbi auxiliaris "*olmak*" praesente apposito fit Praesens hoc modo: "*bak*-AR-*im* =*bakar-im.*"

Imperfecto V. a addito efficitur Imperfectum *bakar-idim*=*bakardim.*

Negativi Verbi Participium praesentis desinit in "*z*" Schottius (*Versuch uber die Tatar. Sprachen*, pag. 28) hoc "*z*" secundum sonorum alternationis regulam in loco ᵗᵒ "r" positum esse censet. Qui scribendi modus primaria videtur fuisse forma. [Saepe in Tartarica et interdum etiam, maxime antiquis temporibus in Osmano-turcica lingua haec Participii praes. nota "*z*" (in "*mez*") littera "*s*" ("*mes*") scripta apparet.]

B) Participium praeteriti syllaba "*mish*" Imperativo ipsi apposita formatur, e. g. "*bak-mish*" Exinde oritur auxiliaris Verbi praesente addito tempore Perfectum e. g. "*bak-mish-im*" V. a. Imperf. addito, Plusquamperfectum: *bakmish-idim.*

De illo Perfecto hic mihi liceat monere, Participio

praesentis cum V. a. Perfecto conjuncto ("*imishim*") aliam fieri Imperfecti formam hanc "*bakar-imishim*=*bakar-mishim.*" Quae Participii praeteriti terminatio "*mish*" in nonnullis Tartaricis dialectis "*mes*" vocatur, id quod a Mongolica forma "*ksan*" vel sine illa littera "*k*" (quae proprie ac necessario ad hanc terminationem non pertinet) "*san*" originem ducit. Haec autem syllaba "*san*" aliud non est, quam mera litterarum "*s*" prolongatio, quae Turco-tartarico "*s*" in "*mes*" Osmano-turcico "*sh*" in "*mish*" respondet.

C) Participium futuri syllaba "*djak*" (et "*djek*") — "*adjak*" vel post vocalium classem quae *e*, *ö*, *ü*, *i*, continet "*edjek*" pronuncianda—radici adjuncta, saepe etiam Optativo (in *va*, *ye*, desin.) apposita formatur, e. g. "*bak*ADJAK, *ver*EDJEK, *s'öley*EDJEK.

Verbi auxiliaris praesenti tempore huic Participio apposito, F u t u r u m oritur, e. g "*bakadjak im*" haud raro arctius conjunctum: "*bakadjaghim.*" Quod Futurum hoc modo formatum, actionem vel conditionem quandam proxime futuram esse exprimit. Praeter hoc enim aliud in lingua Turcica Tempus futurum fit; a Participio fut. in "*mali*" desinente e. g. "*bakmali-im*" quod necessitatis includit notionem. Illud "*bakajak im*" significat "observabo", hoc "*bakmali im*", "mihi observandum erit." Tertia quaedam et maxime usitata futuri ratio exprimendi ipsa Praesentis efficitur forma. Hoc tertium Futurum quasi aoristus est; quo exprimitur: "hoc faciam", ratione non habita temporis (praesens quasi indefinitum).

Quae Participia, quum hic formae solum neque earum conjunctio considerentur, satis hactenus exposita sunt.

Quare nunc Verbum auxiliare "*olmak*", quod Turcica in lingua tanta est gravitate, propius contemplemur.

Hoc *olmak* "esse, fieri" significans respondet Tartarico Verbo "*bolmak*", quod Mongolicum est "*bulcho.*" Verbi "*bolmak*", quidem apud Osmano-turcas forma in usu est, significatio vero ei inest, "inveniendi."

Littera "*b*" initialis in linguis Tartaricis valde vaga est, ideoque facillime omittitur, ita ut a primario Verbo "*bolmak*", quod ad Mongolicum, ut jam dixi, prope accedit, fiat "*olmak.*" Quum vero defectivum sit Verbum multa Tempora a formis perditi jam Verbi "*imek*" (ejusmodi enim verbum exstitisse non injuria opinari possumus) mutua sumit. Tertia singularis et pluralis persona a verbo "*durmak*", "manere, stare", formata est, id quod facile intelligitur, quum Turcicum "*dir*" in Tartaricis dialectis etiam "*dur*" et interdum adeo "*durur*" scribatur, quod quidem secundum aliarum linguarum exemplum jure fieri potest. In Romanis, quae nominantur, linguis non minus verba, quae "esse" et quae "stare" significant, inter se mutantur. Sic e. g. hodierni Itali dicunt: "io sono stato" = "fui." Hispani non eadem, sed alia quadam ratione verbo "estar" pro "ser" utuntur, v. c. "estare a qui" = "hic ero." Quod Verbum igitur auxiliare, quum pars Turcicae conjugationis simplissima sit, nonnulla hic sequantur, quae quomodo Verbum variis Personis mutetur, demonstrent.

Ad Praesens primum, quod attinet forma "*im*", alia non est, quam radix illius supra commemorati verbi "*imek*", *m* in fine positum est suffixum pronominale primae Singularis personae, quod in antiquiore et apud

Tartaros adhuc usitata forma "*man*" (*men*), continetur. "*Sen*" litterarum quodam compendio ex "*isen*" ortum et ejus terminatio "*sen*" pronominis secunda persona sing. est. Tertiam Pluralis Praesentis personam Pluralem vocis "*dir*" esse, primo jam videmus adspectu. Ipsum autem "*dir*" est purum Praesentis Participium pro "*dirir*" sive "*durur*", a "*durmak*", quae formae in quocunque Verbo semper eaedem sunt, e. g. "*bak-ar*" "observans", sed etiam "observat". Pluralis prima persona syllaba "*iz*" insignitur, quae pro "*imiz*" dicta et ejus terminatio pronomen suffix. I. pers. plur. pari modo, ut "*niz*" in "*siniz*", pro "*isiniz*" pron. suffix II. plur.

Super est jam, ut consideremus Verbi auxiliaris Imperfectum; cui tamen peculiaris non inest difficultas. In "*idim*", "*idin*", "*idi*" est "*i*" radix Verbi "*imek*" litera "*d*" quae sequitur *to* "*i*" eadem est, quam in Participio praeteriti in "*dik*" desinente videmus. Littera "*m*" denique est pron. suffix. I. Sing "*n*" pron. suffix. II. Sing. "*i*" pron. suffix. III. Sing. Primae vero Pluralis personae particulam "*dik*" abusu recentiorum temporum formatam esse credo; quam ob causam qualis sit, certo dici non potest. Quid "*siniz*" sit, per se patet.

Quae hic de Verbi auxiliaris Imperfecto diximus, non minus valent de Perfecto, quod e verbi radice compositum est et syllaba "*dim*", e. g. "*bakdim.*" Illud enim "*dim*" brevior tantum est Imperfecti forma pro: "*idim.*"

Optativum, Conjunctivum, Conditionalem compluresque alias res singulares, quae in Verbo Turcico con-

siderando nobis obveniant, praetereamus, quum nihil contineant, quod magni linguae Turcicae sit momenti.

Finem igitur imponamus huic, quae de formis agit, doctrinae et paucis adhuc ad Turcicae

SYNTAXIS

indolem nos convertamus.

Etiam hanc Turcicae grammaticae partem, quae ad Syntaxin spectat, investigantes eas regulas mittamus, quae ex universis oriuntur logicis legibus et magis minusve linguis communes sunt omnibus. Ea quoque praetereamus, quae Turcica lingua possideat peculiaria vel cum paucis tantum linguis communia, sed quibus minus indoles ejus appareat. Haec sola hic considerentur, quae Turcicae linguae propria sunt, et quae eam a reliquis omnibus separant, eamque unicam, ut ita dicam, sui generis constituunt.

Quicunque Turcicae linguae ignarus non est, nulla re magis Turcicam linguam ab aliis secerni concedet, quam propria verborum collocatione sive Turcicae inversionis ratione et enuntiatorum structura, quo referendae sunt participiorum maxime constructiones. Turcica verborum collocatio, quae nostrae loquendi et scribendi rationi prorsus contraria est ob eamque causam jure inversio potest nominari, in eo posita est, quod Turcicae proprium est linguae, ut soleat cui libet orationis parti aliam accuratius definientem praeponere, ita ut

I. adjectivum substantivo praemittatur e. g. "*bir guzel ev.*"

II. adverbium verbo, e. g. "*turktcheyi kamil bilir.*"

III. Genitivus voci abs qua regitur, e. g. "*babanin oghlu.*"

IV. Objectum Verbo, quum objecto praeposito effectus verbi statim nobis appareat, quo tendat, e. g. "*bu adami oldurdi.*"

V. Vocabulum vel sententia, quae a pronomine relativo pendet, huic ipsi pronomini, quoniam eadem intercedit relatio, quae est inter substantivum et adjectivum, e. g. "*elimdeki kilidj.*"

VI. Verbum a praepositione rectum, praepositioni. Initio enim, ut supra jam commemoravimus, praepositiones substantiva fuerunt et vocabulum, quod regebant, Genitivo casu adsciverunt quamquam hoc non semper forma expressum est, e. g. "*onun itchun.*"

VII. Pronomen possessivum rei, quae possidetur, e. g. "*benim babam.*"

Haec autem consuetudo, secundum quam Turcae rem, qua quid definitur definiendae praeponunt, non observatur, si vocabula Persica et Arabica Genitivi vices obtinent, tum enim vim suam exercent duae istae linguae, Genitivi notam non habent, sed vocabulum, quod Genitivi locum occupat, postponitur, e. g. "*ilmi nebatat*", "*ehli kelam.*"

Una tantum est eaque vera illius consuetudinis exceptio pronomina dico suffixa, "*baba-m*", "*baba-n*", "*oghlu.*"

Scio equidem neque nego multa me hic omisisse, quae de ratione vocabulorum in lingua Turcica collocandorum dici poterant, sed quum ea tantum in medium proferre voluerim, quibus linguae indoles perspiciatur,

reliquis postpositis ad alteram syntaxeos partem nunc transeam, periodorum quae dicuntur structuram, quae quidem cum in Tartaricis linguis omnibus tum in Turcica summi est momenti, et singulari quodam modo exculta et perfecta. Attamen varietas, quum ei insit quasi infinita, regulae certae ac leges, quibus subjecta sit, constitui nequeunt. Quare hoc tantum nobis curae est, ut ostendere studeamus, quanam re oriatur, ortaque qualis nobis sese ostendat.

Ac conjunctionum quidem, quam in aliis linguis admiramur copiam, quibus singula quaeque cogitata unum efficiunt et totum in Turcica lingua frustra quaesiveris. Haec autem inopia eo tollitur, quod Gerundiis utuntur Participiisque, quae quidem quum satis varia sint et multiplicia, non minus distincte omnia et ordinate oculis quasi proponunt.

Inde oriuntur ingentes quas dixeris, nobisque huic loquendi rationi non adsuetis maxime implicatae et tortuosae periodi, quarum una alterave totam saepe paginam implet, qua extrema demum Verbum sequitur quod omnia regere videtur.

Quae omnia qui cognita habet et perspecta non mirabitur, quod Infinitivi et Participia magis quam in ulla alia linguarum familia ad Nominum numerum referuntur frequentiusque et audacius cum pronominum suffixis casuumque terminationibus conjunguntur. Id quod nonnullis exemplis illustrare hic mihi aptum esse videtur et idoneum.

"*Sheikh bunlar kim dir deyu sual edidjek oghullarum dir demish,*" i. e. senex quinam sunt, dicendo, interrogans filii mei sunt, dixit.

"*Asitanei s'adet d'avet olundughumizin mudjibi ne dir deyu sual eiledi,*" i. e. ad limen beatitudinis i. q. aulam, vocationis nobis facta causa, quae est, dicendo, interrogavit.

"*Dedugin ishitmedugim ve onun yoluna gitmegi ishitmedigimden dir,*" i. e. Dixit causa hujus rei est, quod non ea, quae dixit audivi. (*cf.* J. C. Clodii, *Lexici Taurici Triplex Index* etc., Lipsiae 1730. pag. 85. 86. seqq.)

Quamquam multa supersunt quorum in Turcarum linguae indole explananda mentio fieri possit, quaecunque autem commemoravi multo profusius possunt tractari, nihilo minus tamen huic scriptioni imponamus finem, quum, ut saepius jam dixi, hoc tantum nobis fuerit propositum, ut quibus rebus maxime appareat Turcarum linguae indoles, demonstrarem. Ut autem perpauca sint et vilia quae dedi, id certe fore credo, ut cognoscatur, Turcicam linguam immerito aliis posthaberi ejusque studium nimis negligi, quippe quae propter admirabilem simplicitatem, singularem formarum fingendarum facilitatem, peculiarem dicendi brevitatem, acutissimam denique rerum significandarum rationem imprimis idonea sit, quae nobis humani ingenii vim et facultatem, qua linguas gignit et format, ante oculos proponere possit.



